



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

§. 3. De Electione, Postulatione, & Confirmatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

co, qui præsumitur non satis nosse digniorem, ideòque plures cumulativè præsentare potest.

Patronus non potest seipsum præsentare, cap. 26. *de Jure Patron.* sed potest filium suum, si idoneus sit. Episcopus tamen potest Patrono Beneficium motu proprio conferre. Si Patronus Laicus præsentet indignum, jubetur alium dignum præsentare: si Ecclesiasticus, privatur hac vice jure præsentandi.

§. 3. *De Electione, Postulatione, & Confirmatione.*

Electio est designatio personæ capacis ad Prælaturam, vel Beneficium vacans, facta per suffragia. Per eam acquiritur jus ad Beneficium: nam jus in Beneficio sola Confirmatione obtinetur: quare si quis absque confirmatione immisceat se administrationi Beneficii, censetur intrusus, & amittit jus, quod erat per electionem consecutus, cap. 5. *de Elect.* in 6.

Electio ex Conc. Gener. Later. 4. cap. 24. triplici modo fieri potest, vel per Scrutinium, cum quilibet eligentium suffragium suum secretò tradit; vel per Compromissum, cum eligendi potestas in unum, vel plures communi eligentium consensu transfertur; vel per Inspirationem, cum eligentes subito quodam motu in unum communitè consentiunt. Yy 4 Ut

Ut electio valeat, hæc requiruntur 1. Ut omnes eligentes sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum: nam ex Clement. 2. *de Ætat.* & Trid. Sess. 22. cap. 4. nemo ferendi suffragium jus habet, nisi sit saltem Subdiaconus. 2. Ut vocentur omnes, qui eligendi jus habent. Non obstat tamen, si aliquis de Capitulo vocatus venire noluerit, vel nequiverit, cap. 28 *de Elect.* 3. Ut eligatur is, in quem omnes, vel major, vel sanior Capituli pars consensit, ex Conc. Later. 4. cap. 24. Pars autem sanior hîc intelligitur, quæ in electione omnes regulas Canonum servat; minus sana, quæ non servat.

Postulatio est facta ab electoribus superiori obsecratio, ut ad vacans Beneficium vel dignitatem admittere velit aliquem, qui eligi non poterat ob impedimentum Canonicum, quod non est vitium corporis, aut animæ.

Confirmatio est concessio juris in Beneficio facta à Superiore ei, qui electus, vel postulatus est. Unde non differt ab institutione, nisi quod hæc connotet præsentatum, illa verò electum, vel postulatum. Porro electus debet secluso, impedimento, intra tres menses à notitia electionis acceptatæ petere Confirmationem: aliàs electio est irrita, cap. 6. *de Elect.* in 6.